

III. ARMINIANA SIMVLATA, fundamentalibus etiam articulis fidei momentum suum ac pondus eripiens, et sub tolerantiae commendatione ignorantiam tandem invehens. Conf. ex ipsis Reformatis VEDELIVS *Arcan. Arminianismi C. VI. p. 25.*

IV. SOCINIANA INCONDITA et barbara dum enim omnia ad veterem illam et piscatoriam simplicitatem ac sinceritatem Apostolorum deducenda crepat Photiniana cohors, nihil aliud intendit, quam ut doctrina salutaris de Christo ejusque merito obscuretur et tollatur Conf. B. CALOVIUS *T. I. Syst. p. 839.*

V. INDIFFERENTISTARVM INCREDVLA, nihil praeter religionem rationalem quaerens, in honestate vitae consistentem, reliqua sub argutiarum fidei nomine contemnens ac traducens.

VI. REFORMATORVM INSIDIOSA, et in decreta DEI benignissima de salute humani generis admodum iniqua, ac, dum simpliciter in absoluta ejus voluntate acquiescendum statuitur, desperationis tristissimae semina foecundissima spargens.

VII. FANATICA SVPERBA et tumida, sub specioso suo nomine incredibilem fastum et de revelatione fictitia opinionem tegens, miserorum hominum fascinatrix. Quis non miretur BARCLAIVM, scribentem, quod DEVS *inter pauperes, infantes et puerulos, (QVAKEROS designat,) mysteria sua patefaciat.* Apolog. p. 374. Hos mihi dic PVERVLOS, qui omnes homines, etiam eruditissimos, pro pueris et stipitibus habent: Quorum venenatum contagium ne in purioris ecclesiae viscera serpat ac diffundatur, metuedique causas, quas de Corinthiis Apostolus habebat, porro procul a nobis abesse jubeat DEVS, omni animi

religione enixe  
P R E C A M U R.